Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8957
Copyright: Melk, Benediktinerstift

pellem pro munere detulisse, qua plerumque sanctus ille quasi amiculo circumtectus, non dedignatus est munus per bestiam sumere, cui alium potius interpretatur auctorem.

De fera que anachoritam medicinam edocuit.

Erat autem alterius anachorite in illis regionibus nomen illustre, qui in ea parte deserti que est circa Syenen habitabat. Hic cum primum se ad heremum contulisset, victurus herbis herbarumque radicibus, quas per dulces interdum et saporis eximii fert harena, victurus germinis ignarus eligendi, noxia plerumque carpebat. Nec facile erat vim radicum sapore discernere, quia omnia eque dulcia, sed pleraque occultiore natura virus letale habebant. Cum ergo edentem vis interna torqueret, et immensis doloribus vitalia universa quaterentur, ac frequens vomitus cruciatibus non ferendis ipsam anime sedem stomacho iam fatiscente dissolveret, omnia penitus que essent edenda formidans, septimum iam ieiunus diem spiritu deficiente ducebat. Cum ad eum fera cui ibicis nomen est accessit. Huic propius astanti fasciculum herbarum quem collectum pridie attingere non audebat obiecit. Sed fera que virulenta erant ore discutiens, que innoxia noverat eligebat. Ita vir sanctus eius exemplo quid edere, quid respuere deberet edoctus, et periculum famis evasit et herbarum venena vitavit. Sed longum est de omnibus qui heremum incolunt comperta nobis vel audita memorare. Annum integrum et septem fere menses intra solitudines exegi, magis virtutis admirator aliene, quam quod ipse tam arduum atque difficile potuerim temptare propositum. Sepius enim cum sene illo, qui puteum et bovem habebat, habitavi.

De anachorita qui humanos gressus vitabat. XXX

Duo beati Antonii monasteria adii, que hodie ab eius discipulis incoluntur. Ad eum etiam locum in quo beatissimus Paulus primus heremita est diversatus accessi. Rubrum mare vidi, iugum Sina montis, cuius summum cacumen celo pene contiguum nequaquam adiri potest. Inter huius recessus anachorita esse aliquis ferebatur, quem diu multumque quesitum videre non potui, qui fere iam ante quinquaginta annos a conversatione humana remotus, nullo vestis usu, setis corporis sui tectus, nuditatem suam divino munere nesciebat. Hic quotiens eum religiosi viri adire voluerint, cursu avia petens congressus vitabat humanos. Uni tantum memoratur se ante quinquennium prebuisse, qui credo potenti fide id optinere promeruit. Cui inter multa colloquia percunctanti cur homines tantopere vitaret, respondisse perhibetur eum qui ab hominibus frequentaretur non posse ab angelis visitari. Unde non immerito recepta opinione multorum fama vulgaverat sanctum illum ab angelis visitari. Ego autem a Sina monte digressus, ad Nilum flumen regressus, cuius ripas frequentibus monasteriis consertas utraque ex parte lustravi. Plerumque vidi, ut dudum dixeram, uno in loco habitare centenos, sed et bina et terna milia in isdem viculis agere constabat. Nec sane ibi minorem putetis diversantium in multitudine monachorum esse virtutem, quam eorum esse cognoscetis qui se ab humanis cetibus removerunt. Precipue ut iam dixeram ibi virtus est et prima obedientia. Neque aliter ad monasterium adveniens ab abbate suscipitur, quam qui temptatus prius fuerit et probatus. Nullum labores umquam